

structam iudicio indifferente: ne sit sibi contrarius; cum in pluribus locis, præcipue lib. de Correct. & gratia cap. 4. dicat: *Non est dubitandum, voluntati divinae humanas voluntates non posse resistere.*

Ad quartam, quæ concernit testimonium D. Anselmi, potest responderi primò, quòd non est omnino certum illud opus esse D. Anselmi quia de eo dubitat Bellarm. in lib. de Script. Ecclesiast. Respondetur secundò, D. Anselmum ibi expresse distinguere duas voluntates Dei, aliam misericordiam, quæ pertinet ad gratiam sufficientem, quæ vult omnes homines salvos fieri; alteram iustitiæ, quæ reducitur ad gratiam efficacem, quia illa omnia, quæcumque voluit, fecit: & de qua inquit, *Voluntati eius, quis resistit.* Solumque docet, D. Paulum potuisse resistere primæ voluntati, secus verò secundam.

Ad quintam ex D. Thom. desumptam, respondetur, Angel. Doct. non docere in illo quodlib. voluntatem posse resistere motioni Dei efficaci, sed sufficienti, excitanti, & fudenti moraliter ex parte obiecti: vt colligitur ex verbis, quæ postea addit, *Et sic quòd gratia careat, non habet causam à Deo, sed ab homine:* Ex quibus constat se loqui de gratia, cui defactò resistitur: gratia autem, quæ defactò resistitur, in omnium sententia, non est efficax, vt efficacem, sed sufficientem, vt sufficientem. Hoc ipsum potest colligi ex alijs eius verbis, quæ ibi habentur, vt constabit totam solutionem legendi.

Ad vicinam probationem, quæ fundatur in damnatione secundæ propositionis Iansenianæ à summis Pontificibus, rectè respondent NN. Salm. in hoc tract. de Gratia disp. 7. num. 234. dicentes, quòd dum Pontifex damnat aliquam propositionem vt hereticam, non definit eius contrariam, cum duæ propositiones contrariæ possint esse simul falsæ iuxta regulas Dialecticæ, sed tantum definit eius contradictoriam. Propositio damnata est hæc: *Interiori gratia nunquam resistitur*, quæ æquivalet, *Nulli interiori gratia resistitur.* Contradictoria verò illius est ista, *Interiori gratie aliquando resistitur*, seu eius æquivalens, *Alcui interiori gratia resistitur.* Quis ergo absque ingenti temeritate deducet hinc, quòd gratiæ efficaci aliquando resistitur? & quòd dum Pontifex definit primam illam propositionem particularem, definit & alteram? Iansenius enim duo asserbat, & quòd gratia efficax est irresistibilis, & quòd non datur aliqua gratia interior præter efficacem, hincque delirabat nullam gratiam interiori esse resistibilem. Igitur Pontifex, dum hanc propositionem proferbit, non definit, quòd gratia efficax sit resistibilis, sed quòd detur alia gratia, quæ sit resistibilis.

82. Sed iuxta hanc solutionem, & doctrinam

nam insurgunt implacabiliter adversarij: Nam gratia illa, quæ est metaphysicè necessaria ad consensum, & cui non potest absolute resisti nec in sensu composito, nec in sensu diviso, tollit libertatem consensus; sed per nos gratia physicè prædeterminans est huiusmodi: ergo tollit libertatem consensus. Maior probatur: nam gratia illa, quæ tollit potestatem ad illi resistendum, etiam tollit potestatem ad carentiam consensus, & multò magis ad dissentium; se gratia, quæ tollit potestatem ad dissentium, & ad carentiam consensus, tollit libertatem: ergo gratia illa, quæ est metaphysicè necessaria ad consensum, & cui non potest absolute resisti, tollit libertatem consensus. Maior probatur: nam potestas ad carentiam consensus est potestas ad resistendum gratiæ requisitæ ad consensum: siquidem gratiæ illi non aliter potest resisti nisi per carentiam consensus: ergo gratia, quæ tollit potestatem ad illi resistendum, tollit potestatem ad carentiam consensus. Vel aliter: Ubi non est potestas ad frustrandam gratiam, non est potestas ad carentiam consensus: quia gratia ad consensum non aliter frustrari valet à suo effectu nisi per carentiam consensus; sed gratia physicè prædeterminans tollit potestatem ad illam frustrandam: ergo etiam tollit potestatem ad carentiam consensus.

Ad hoc argumentum respondetur, potestatem ad carentiam consensus, seu ad dissentium posse sumi dupliciter: vel ad dissentium divisum à gratia efficaci; vel ad dissentium compositum cum gratia efficaci. Dicimus ergo, quòd eadem est potestas ad dissentium compositum cum gratia efficaci, & potestas ad illam frustrandam, & ad illi resistendum: potestas verò ad dissentium divisum à gratia efficaci non est eadem cum potestate ad illi resistendum, & ad eam frustrandam. Unde stat optimè, quòd nostra voluntas, dum est physicè prædeterminata, habeat potestatem ad ponendum libere consensum, quin habeat potestatem absolutam illam frustrandi, & illi resistendi, quia ly *frustrare*, & *resistere* ex proprijs terminis important sensum compositum cum physica prædeterminatione. Quæ solutio potest illustrari hoc exemplo omnibus Theologis communi: Nam potestas ad dissentium stat cum divina præsentia consensus; & si poneretur dissentium, proculdubio falsificaretur scientia divina. Licet hinc inferret: *Ergo potestas ad dissentium est potestas falsificandi scientiam, quia aliter non falsificatur?* Nullo modo. Alia ergo est potestas ad dissentium, divisum à scientia consensus, à potestate falsificandi scientiam: & rectè componitur, quòd si voluntas dissentiret, falsificaret scientiam, & quòd habeat potestatem absolutam dissentendi, quin habeat potestatem falsificandi. Pariformiter ergo in nostro casu.

Aliud argumentum à ratione, simul & auctoritate.

83. ARGUITUR sextò: Nam gratia, quæ potest impediri, & acquiri dependet à nostris actibus, non est physicè prædeterminans; sed nulla est gratia, nullusque casus, in quo secundum providentiam ordinariam non possit acquiri, aut impediri dependet à nostris actibus: ergo nulla gratia datur physicè prædeterminans. Consequentia est legitima. Sed utraque præmissa indiget probatione. Maior ergo probatur: & claritatis gratia loquimur de gratia concessa bonis Angelis, quæ malis denegata fuit: Nam prædicta gratia, si esset prædeterminans, non dependeret ab actu libero prævio: sed neque ab actu, quem elicit in genere causæ efficientis: ergo saltem in prædicto casu gratia prædeterminans non potest impediri, aut acquiri dependet à nostris actibus. Maior constat: tum quia vel concedendum esset actus positivus, quo quis se disponeret ad actum adimpletium præcepti sine adiutorio five prædeterminatione Dei, vel saltem adiutorium five prædeterminatio ad prædictum actum prævium non dependeret à nostris actibus: quomodo arguens D. August. lib. de gratia Christi contra Semipelagos, concedentes adiutorium Dei ad actus salutare, & afferentes posse acquiri per actus liberi arbitrij, ita ait: *Ergo ne, ut perveniantur ad adiutorium Dei, ad Deum curritur sine adiutorio.* Tum etiam: nam si prædictus actus prævius est sine prædeterminatione, cur non omnes? Si est cum prædeterminatione: ergo ad istum non disponit actus prævius, ne concedatur processus in infinitum: cur non erit idem in prædeterminatione ad primum actum adimpletium, vel transgressivum præcepti? Minor verò probatur: nam si gratia prædeterminans dependeret in genere causæ dispositivæ à consensu, quem elicit, de quo modo dependentia tantum potest nunc disputari, vera esset hæc propositio: *Deus dat illam, quia volumus, & non solum ut velimus;* sicut verum est dicere: *Deus dat gratiam habitabilem, quia homo, vel Angelus disponitur per contritionem, seu actum charitatis,* etsi isti actus effectivè procedant à gratia; sed hoc est contra D. August. epist. 107. ad Vitalem, qui hanc propositionem negabat, & eam concedebat Pelagius: est etiam contra illud Apolt. ad Roman. 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat;* ergo de ratione gratiæ prædeterminantis est, quòd non dependeat ab actu, quem elicit effectivè. Adde: Nam in illa quæst. cur vnus vocetur efficaciter, & alter

non? omnes Catholici cum D. August. & Div. Prospero tantum recurrunt ad infirmitatibus iudicia Dei: quòd stare non possent, si dependeret dispositivè ab actu, quem elicit.

84. Deinde minor primi syllogismi suadetur primò ex illo Ossee 13. *Perditio tua Israël: tantummodo in me auxilium tuum.* Vel prout communiter legitur: *Perditio tua ex te Israël: tantummodo ex me auxilium tuum.* Ex quibus verbis colligitur saltem, quòd omnis gratia potest impediri dependet à nostris actibus. Secundo ex Trident. sess. 6. cap. 11. vbi dicit: *Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Ex quo testimonio idiptum colligitur. Tercio ex Concilio Senon. decret. 15. fidei: *Neque tamen tanta gratia necessitas libero præiudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu.* Per quæ verba denotatur, quòd Deus ita omnibus offert suam gratiam efficacem, vt per nos præcisè stet illa carere. Quarò ex D. August. lib. de Nat. & grat. cap. 26. & ex D. Prospero ad cap. Gallorum resp. 7. & ad 7. obiection. Vincent. aientibus, gratiam non prius nos deserere, nisi prius deseratur à nobis. Quintò ex D. Anselmo de Casu diaboli cap. 3. vbi ait, quòd malus Angelus non ideo non habuit voluntatem perseverantem, aut non accepit, quia Deus non dedit; sed quia ille volendo, quòd non debuit, eam deseruit. Sextò ex D. Thom. qui pluribus in locis docet, quòd Deus est paratus omnibus dare gratiam, & illam non recipere non stat ex parte Dei, sed ex eo quòd impeditur à nobis, vt videri potest 3. Contra gent. cap. 159. 1. 2. quæst. 112. art. 3. ad 2. 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 2. quæst. 3. de Malo art. 1. ad 8. in 1. dist. 40. quæst. 4. art. 2. per totum, 6. in Ioann. lect. 5. 12. ad Hebræos lect. 3. Septimò, quia si in casu primi peccati diaboli defectus gratiæ efficacis non dependeret saltem dispositivè ab ipso peccato, sequitur, quòd initium perditionis sit ex Deo; quòd prius deseratur à Deo, quam nos Deum deseramus; quòd Deus non sit paratus, & promptus conferre omnibus gratiam efficacem; quòd sicut Deus est primum efficiens iustificationis, etiam sit primum deficiens ad perditionem, licet non perditionis: quia primus defectus, ex quo à priori, & infallibiliter sequitur peccatum, seu perditio, esset vnice à Deo, ab ipsoque voluit, & efficaciter determinatus independenter à nobis. Hæc sunt absurda intolerabilia, & contra D. Thom. loco citato ex 1. 2. vbi sic ait: *Defectus gratiæ prima causa est ex nobis; sed collationis gratiæ prima causa est à Deo, secundum illud Ossee 13. Perditio tua ex te Israël &c.* Ergo nulla est gratia, quæ non possit secundum præsentem providentiam saltem impediri à nostris actibus.

85. Dupliciter solent respondere nostri Theo.

Thomistæ ad hoc argumentum. Quidam negant maiorem. Nam aliud est, quod existentia gratiæ, vel carentia illius dependeat à nostris actibus precedentibus effective ex ea, eo modo quo in veriori sententia Thomistarum gratiæ habitualis dependet in genere causæ dispositivæ ab actibus ab ea effective precedentibus; aliud verò, quod efficacia gratiæ dependeat à nostris actibus. Primum est verum iuxta aliquos Thomistas: sed secundum falsum iuxta omnes Thomistas. Oppositum sentientibus omnibus PP. Societatis: iuxta quos res conversò se habet, cum dicant, quòd existentia gratiæ non est ex nobis; bene verò eius efficacia. S. d. inter Authores, qui hanc mutam prioritatem concedunt, est sua dissensio: Nam quidam tantum illam admittunt inter actum peccati, & prædeterminationem Dei ad illud, & carentiam auxilij efficacis, in qua consistit peccati passiva peccati. Alij illam extendunt ad auxilium efficacem, & actum salutarem. Ex quibus priores loquuntur magis ad mentem Scripturæ, Conciliorum, & SS. PP. quorum testimonia inter arguendum retulimus. Sed nostro iudicio possunt efficaciter impugnari à paritate. A qua tamen impugnatione superlethemus brevitas gratiæ.

Alij Thomistæ, etsi concedant plures causas, in quibus carentia gratiæ dependeat à nostris actibus precedentibus demeritorie, habeantque rationem pœnæ respectu illorum, quin sit nobis imputabilis ex defectu prævisionis; negant tamen saltem in casu argumenti, sive carentiam gratiæ efficacis, sive prædeterminationem ad materiale peccati dependere dispositivè ab ipso peccato. Negantque similiter, auxilium efficacem ad consentium salutarem dependere dispositivè ab ipso consensu.

86 Nos verò ex his duabus solutionibus eligimus secundam, quia nullam affirmativam adhuc apparentem habet cum sententia Societatis. Quod præstare curavimus in solutione argumenti precedentis, & præsens habebimus, in enodatione actuum, quæ supersunt, salva tamen fide, ut æquum est. Unde respondetur, permissa maiori, negando minorem. Quam nulla ex eius probationibus persuadet. Non prima ex illo Ossee 13. *Perditio tua ex te Israel: Quia per hæc verba tantum denotatur, defectum mortalem, qui est in peccato, nullatenus esse ex Deo, sed ex sola nostra voluntate deficiente: cuius oppositum venit in consensu salutari. Cum quo rectè coheret, quòd nec prædeterminationo physica ad materiale peccati, nec carentia auxilij efficacis, ex quibus infallibiliter sequitur ipsum peccatum, dependeat dispositivè ab ipso peccato, neque per illud possit impediri auxilium efficacem ad actum salutarem.*

Nec secunda ex Trident. Quia Concilium tantum loquitur de gratia habituali, ut liquido constat ex toto textu: de qua verum est, quòd

dependet dispositivè à nostris actibus adhuc ab ea effective precedentibus; & carentia illius vel est effectus peccati, vel pœna illius. Et propterea non solum est ex nobis: sed etiam est nobis imputabilis: quia videlicet est effectus prævitæ, & prævitæ peccati, cum sequatur per se ex illo.

Nec tertia ex Concilio Senon. Quia hoc Concilium tantum loquitur de gratia sufficiente: quia Deus, quantum est in se, solum est paratus dare omnibus gratiam sufficientem, quam nulli negat, nisi in pœnam precedentis peccati: & tunc carentia talis gratiæ est homini imputabilis, quando est prævitæ. ¶ Nec quarta ex D. August. & D. Prospero: quia loquuntur in eodem sensu, ac Concil. Trident. ex quibus Concilium desumptum sententiam proximè explanatam de gratia habituali. ¶ Neque quinta ex D. Anselmo: quia hic S. Doctor loquitur de voluntate perseverante in actu secundo, cui Angelus malus per suam voluntatem pravam impedimentum præstitit, & eam deseruit. Unde verum est de hac voluntate formali, seu in actu secundo perseverante, quòd mala voluntas diaboli, & non Deus, fuit proxima causa, cur illam non haberet: & hic est sensus D. Anselmi. Sed causa radicalis fuit Deus, qui non dedit ei auxilium efficacem ad illam bonam perseverantem voluntatem.

Neque sexta ex D. Thom. Nam D. Thomas locis in ea citatis intelligendus est de gratia sufficiente: cuius receptio impediatur à nobis ex vi precedentium peccatorum. Vel de gratia prædeterminante: ad quam homo se impedit per aliquid peccatum precedentem, cuius respectu carentia illius habet rationem pœnæ. Vel de gratia habituali: cuius defectus est proximè ex nobis ex vi peccati illam expellentis, ideoque est effectus, & pœna illius, quod de carentia gratiæ efficacis precedentis prioritate nature ipsum peccatum verificari non valet.

Nec septima, & vltima: quia ex omnibus illis sequentis tantum concedi debet, quòd Deus fuit prima causa derelictionis diaboli, ex qua non physicè, sed logicè infallibiliter, & ex prava ipsius voluntate secuta fuit sua perditio, seu peccatum. Ex quo non sequitur, quòd Deus sit initium perditionis, nec primum deficiens; licet verificetur, quòd prius deserimur à Deo, quam nos Deum deseramus, & quòd voluntate consequenti non est paratus conferre omnibus gratiam efficacem: in quibus concedendis, nullum est inconveniens: quin potius inconvenientia vera, & vrgentiora sequuntur ex opposito modo. Sequitur enim posse quem iuste in seipso gloriarì adversus alterum de sua discretionem, si ex libera vtriusque determinatione proveniret, quòd auxilium efficacem vni conferatur, & alteri negetur. Sequitur etiam, necessarium non esse orationem ad auxilium efficacem compar-

ran-

randum: quia si scimus, Deum esse paratum ad illud dandum, si nos velimus, & in nobis est potestas ad illud comparandum per gratiam sufficientem, ad quid oratio? Sequitur deinde, non esse solius Dei misericordiam habere nos gratiam efficacem, neque esse verum illud Apost. cuius vult, miseretur; & quem vult, indurat: neque ad solvendum illam questionem, cur unus vocetur, & alter non? esse necessarium recurrere ad sola iudicia Dei; cum per velle, & nolle nostri liberi arbitrij sufficienter solvantur.

Nec noster modus dicendi est contra D. Thom. ut dicitur in hac septima probatione: quia 3. Contra gent. cap. 160. hæc habet: *Cur autem Deus homines qui inæqualibus peccatis detinentur, hos quidem præveniens convertat, illos autem sustineat, sive permittat, non est ratio inquirenda: hoc enim ex simplici voluntate eius dependet.* Et cap. 6. in Ioann. lect. 5. ita ait: *Quare autem in speciali trahat bene, & illum non trahat, non est ratio aliqua nisi beneplacitum voluntatis divine. Unde dicit August. Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, non velle dijudicare, si non vis errare. Semel accipi, & intelligi: nondum traheris, ora, ut traharis. Videant ergo ij, quibus hæc nostra solutio displicet, quam fundatissima sit in doctrina Augustiniana, & D. Thomæ. Locus Angel. Doct. obiectus, & expressè adductus imprimis non faver eis, qui aliquam causam quarunt ex nobis ad collationem auxilij efficacis. Deinde defectus gratiæ, cuius primam causam, inquit, esse ex nobis, potest intelligi de gratiæ defectu morali, in quo consistit peccatum habituale.*

87 Sed contra hanc solutionem insurgunt PP. Societatis: *Nam principium à nobis impedibile, inferens infallibiliter nostrum actum, destruit nostram libertatem: Vel alijs terminis: Quidquid ex impedibili per necessitatem consequentiam sequitur, hoc impedibile est, & necessarium; sed per nos auxilium ab intrinseco efficacem, & carentia illius, necnon prædeterminatio ad materiale peccati nequeunt à nobis impediri, & aliunde ex eis infallibiliter sequitur consensus, & dissensus, seu carentia consensus: ergo destruit libertatem. Maior potest & autoritate, & ratione suaderi: sed nunc tantum probatur autoritate. Primò ex illo celebri testimonio D. Anselmi in suo præstantissimo, & indubitato opere, *Cur Deus homo* lib. 2. cap. 18. vbi hæc habet verba: *Est necessitas precedens, quæ causa est, ut sit res: & necessitas sequens, quam res facit. Precedens, & efficiens necessitas est, cum dicitur cælum volui, quia necesse est, ut voluatur. Sequens verò, & que nihil efficit, sed sic est, cum dico, te ex necessitate loqui, quia loque-**

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

ris. In quibus verbis eam necessitatem libertati adversam S. Anselmus docet, quæ præcedit rem, & infallibiliter facit eam esse: ergo iuxta D. Anselm. principium à nobis impedibile inferens infallibiliter nostrum actum, & non illum sequens, destruit nostram libertatem. Secundo ex D. Thom. qui 2. Physic. lect. 15. ait: *Necessitas ex causa priori est necessitas absoluta, sed talis est necessitas orta ex prædeterminatione: ergo hæc tollit libertatem.*

Ad hanc obiectionem respondetur absolute negando maiorem. De cuius propositione non levis controversia est inter recentiores Thomistas, & Societatis, an fuerit vna ex propositionibus Petri de Rivo Doctoris Lovanienfis, damnatis ab universitate Lovanienfi, & eius Doctoribus procurantibus à Sixto IV. anno 1476. eius damnationem. Sed quidquid sit de hac questione maior illa univèrsaliter accepta absolute neganda est tanquam evidenter falsa. Et instari potest, seu retorqueri ex doctrina adversariorum.

Primò: nam iuxta ipsos scientia mediæ de amore sub auxilio A est Deo proximè necessaria inferens infallibiliter ipsum amorem, eisque iuxta plures scientiæ mediæ defensoribus inevitabilis à nobis in statu absoluto; & tamen non tollit libertatem. Secundo: Nam iuxta communem sententiam Societatis datur gratia efficacem in actu primo, etsi dependens in sui efficacia à prævisione consensus conditionate futuræ per scientiam mediam, que infert infallibiliter ipsum consensum in statu absoluto; & tamen in eorum sententia non tollit libertatem illius. Tertio: Quia plures ex eis admittunt prædefinitiones intentivas efficaces ex se, & prævenientes in existendo scientiam mediam, licet in electione mediæ ad sui executionem dependeat à scientia mediæ. En principium à nobis inevitabile, & inacquiescibile inferens infallibiliter nostrum actum, quin officiat libertati. Quarto: Nam oratio Christi, ne desiceret fides Petri, fuit omnino efficacem, ut ait D. August. lib. de *Corrèct. & grat.* cap. 8. fuitque omnino impedibilis à D. Petro, ut ex se patet, & tamen fides illius fuit libera, non ergo omne antecedens connexum infallibiliter cum actu à nobis inevitabile, & inacquiescibile tollit libertatem. Omittimus alia exempla brevitatæ causa.

Ad primam probationem illius maioris, desumptam ex D. Anselmo, respondetur, S. Doct. non velle in illo testimonio omnem necessitatem antecedentem destruerè libertatem; cum defectò concedat, voluntatem divinam fundare necessitatem quodammodo antecedentem respectu voluntatis creatæ, quæ non destruit eius libertatem: sic enim ait in lib. de Concordia, præscientiæ, prædest. & gratiæ cap. 1. *Quoniam enim quod Deus vult, non potest*

V. 4. 2001

non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel non volendum, & vult effectum sequi voluntatem; tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse, quod vult. Signum ergo est, quod in illo testimonio loquitur de necessitate, quæ per modum nature, & actus primi dantis posse est causa, fit res. Quæ expositio constat ex exemplo, quo ibi videtur.

Ad secundam ex D. Thom. respondetur eodem modo: nam, 1. part. quæst. 19. art. 8. proponit argument. aduersatiorum. Cui sic respondet ad 2. *Ex hoc ipso, quod nihil voluntati diuina resistit, sequitur, quod non solum fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, nec necessariò, quæ sit fieri vult.* Sed adhuc expressius proponit suum argumentum his verbis: *Illud, quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolute. . . Sed res create à Deo comparantur ad voluntatem diuinam, sicut ad aliquid prius, à quo habent necessitatem. . . Sequitur ergo, quod omne, quod Deus vult, sit necessarium absolute.* Cui argumento respondet supponendo minorem; & negando maiorem his verbis: *Ad tertium dicendum, quod posteriora habent necessitatem à prioribus secundum modum priorem. Unde & ea, quæ sunt à voluntate diuina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere, vel absolute, vel conditionalem tantum. Et sic non omnia sunt necessaria absolute.* Hoc ipsum perpetuò tradit D. Thom. Unde illa propositio ex 2. Physic. adducta, nempe quod necessitas à priori est necessitas absoluta, intelligenda est, quando causa est naturalis, & mouet per modum nature, quo pacto causa superiores naturales huius vniuersi mouent inferiores.

§. XVI.

Aliud argumentum à ratione.

83 **A**rguitur septimò: Omne principium constituens potestatem ad actum, connexum-infallibiliter cum actu, inauferibile, & infortrabile per carentiam actus tollit libertatem actus; sed gratia ab intrinseco efficax consistens in qualitate voluntati impressa est huiusmodi: ergo tollit libertatem actus; hoc est contra fidem: ergo non datur gratia ab intrinseco efficax constituta per huiusmodi qualitatem. Omnia constant præter primam minorem, quoad eam partem qua qualitas nostra prædeterminans constituit potestatem ad actum. Quæ multipliciter probatur.

Primo à Tyrso ex illo celeberrimo testimonio D. August. dicentis, quod Deus facit, vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati: & hoc facit iuxta nostram sententiam per

qualitatem prædeterminantem; sed quod præstat vires ad agendum, constituit posse ad agendum: ergo qualitas nostra prædeterminans constituit potestatem ad agendum.

Secundò. Nam prædicta qualitas datur ad hoc, vt voluntas contineat vltimam actualitatem, & existentiam actus; sed id, quod datur ad præcontinemendum effectum, constituit potestatem ad illum producendum: ergo constituit potestatem ad actum.

Tertiò. Quia, id sine quo non potest esse actus, non potest non constituere potestatem ad actum, cum potestas ad actum sit id, sine quo non potest esse actus; sed qualitas nostra prædeterminans est id, sine quo non potest esse actus: ergo idem quod prius. Urgetur: Nam voluntatem operari sine nostra qualitate prædeterminante est chimera, ergo potestas ad actum sine tali qualitate est chimærica: ergo huiusmodi qualitas constituit posse ad actum.

Quartò. Potentia libera est illa, quæ postis omnibus requisitis potest operari, & non operari; sed qualitas nostra prædeterminans est vnum prærequisitum ad operandum: ergo constituit potestatem liberam ad operandum.

Quintò. Nam id, quo deficiente, & alijs permanentibus, deficit potestas expedita ad operandum, constituit potestatem expeditam, effeque prærequisitum ex parte actus primi ad operationem; sed nostra qualitas prædeterminans est huiusmodi: quia est prærequisitum essentialia ad actum: ergo constituit potestatem expeditam ad actum.

Sexto. Nam potest Deus, vtens sua potestate absoluta, negare omnem prædeterminationem ad omnem actum; sed tunc voluntas non haberet sufficientem potentiam ad amandum: ergo prædeterminatio constituit potentiam ad actum. Minor probatur: quia in illo casu omittens actum præceptum non peccaret; sed non excusatur à peccato, nisi quia non potest: ergo non haberet sufficientem potestatem ad amandum.

Septimò. Auxilium sufficiens in omnium sententia constituit potestatem ad actum; sed sine qualitate prædeterminante non saluatur auxilium sufficiens: ergo qualitas prædeterminans constituit potestatem ad actum. Minor probatur: nam illud auxilium debet dici *sufficiens*, quod non indiget alio auxilio: ergo e converso illud non est absolute sufficiens, quod indiget alio auxilio; sed nullum est auxilium, quod non egeat qualitate prædeterminante ad operandum: ergo sine illa non saluatur auxilium sufficiens.

Octauò. Ita se habet prædeterminatio nostra physica ad potentiam agendi, sicut lumen ad potentiam visivam, & sicut cognitio proponens obiectum ad voluntatem, & sicut cogitare ad potentiam credendi, & sicut applica-

iam auxilio sufficienti constituere potestatem proximam ad actum.

90 Nec secunda: Nam qualitas physice prædeterminans nullatenus datur ad hoc, vt voluntas præcontineat actualitatem, & existentiam operationis: ad hoc enim datur auxilium sufficiens ex se indifferens, & separabile ab operatione. In quo discurrimus eodem modo, ac in instrumento: & meritò, cum voluntas sit rigorosum instrumentum Dei in ordine ad vltimam actualitatem operationis, & existentiam illius, quamvis sit causa principalis eiusdem operationis acceptæ secundum suam speciem. Unde sicut in quolibet instrumento distinguimus virtutem præuam in ordine ad operationem propriam, & virtutem eleuantem in ordine ad actionem, & effectum causæ principalis, & tandem motionem & applicationem vtriusque virtutis, quæ exerceat munus meræ applicationis præsupponentis vires sufficientes præcontentivas vtriusque operationis; ita pariformiter concedimus virtutem ad operationem secundum suam speciem, quæ multoties consistit in habitu permanenti, seu potentia, sicut in habitibus gratiam, & virtutes infusas, & in igne inferni, quamque vocamus *præuam*; & virtutem eleuantem ad vltimam actualitatem vt *talem* illius, ad eiusque existentiam; & tandem applicationem meram vtriusque virtutis. Unde fallum est, quod qualitas physice prædeterminans datur ad præcontinemendum actum. Hanc solutionem desumpsimus à NN. Salm. in hoc tract. disp. 5. num. 108. Quam præferimus alteri solutioni, & doctrinæ eorum, secundum quam sæpe admittunt in eadem qualitate fluida munus auxilij sufficientis, & munus auxilij efficacis: ne demus locum novis replicis Doctorum: & quia in solvendis argumentis aduersariorum sequimur, vt promissimus, viam magis tritam inter Thomistas, & magis fæderabilem cum libertate.

91 Nec tertia: Nam ad hoc, vt aliquid constituat potestatem ad actum, non sufficit, quod sine illo non possit esse actus; sed requiritur, quod sine illo non sit *posse* ad actum: Deus enim nequit facere, nisi quod præfæcit se facturum, est duplex: quia exceptio *posse* referri ad potentiam, quæ importatur per *ly* potest: vel ad actum, qui importatur per *ly* facere. Si primo modo tunc locutio est *falsa*: Plura enim potest facere, quam præfæcit se facturum: Si autem secundo modo, sic locutio est vera: & est sensus, quod non potest esse, quod aliquid fiat à Deo, & non sit à Deo præfæcitum. Ex quibus verbis habet propositionem, Sine prædeterminatione non potest esse actus, distinguunt Thomistæ ab hac, Non potest esse

catio ignis ad passum; sed lumen constituit potentiam visivam, quia sine illo non saluatur sufficiens potentia ad videndum: cognitio etiam constituit potentiam voluntatis ad amandum, vt à nobis supponitur, & cogitare constituit potentiam proximam credendi: quia, vt docet D. Aug. de prædest. SS. cap. 2. sine cogitatione nullus absolute potest credere: denique applicatio ignis ad passum, vt etiam supponitur: ergo etiam prædeterminatio physica nostra constituit potentiam ad agendum. Maior, quæ sola videtur difficilis, suadetur: nam sicut prius est obiectum illuminari quam videre, & cogitare quam credere, & cognoscere obiectum quam illud amare, & ignem applicari ad passum quam illud calefacere: ita prius est voluntatem prædeterminari qualitate physica ad consensum, quam consentire: ergo se habet eodem modo. Adde: Quia exemplum luminis applicat D. Augustinus gratia nostra efficaci in lib. de Natura, & grat. cap. 26. vbi inquit: *Sicut oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere; sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ adiuetur, rectè non potest vivere.*

89 Ad hoc argument. tot. probationibus munitum, respondetur concedendo maiorem; sed negando minorem ex ea parte, qua dicit nostram qualitatem prædeterminantem constituere potentiam ad actum. Quinimò ex suis prædicatis essentialibus repugnat illi, quod constituat potestatem ad actum: nam hæc qualitas iuxta Thomistas habet rationem meræ applicationis; id autem, quod habet rationem meræ applicationis ad aliquem actum, nequit constituere potestatem ad actum, quia mera applicatio non datur, nisi potentia completa ex parte actus primi. Et propterea D. August. lib. de Corrept. & grat. cap. 11. & 12. distinguit duplex adiutorium ad perseverandum: aliud sine quo aliquid non fit, quod apud omnes est auxilium sufficiens; alterum, quo aliquid fit, quod efficax. Docetque, Adamo datum fuisse adiutorium, sine quo perseverare non potest, & per quod posset perseverare, si vellet; & tantum negatum fuisse ei adiutorium, quo perseveraret. Ex quo colligitur esse contra rationem adiutorij quo auxilij efficacis, nostre qualitatis physice prædeterminantis, & merè applicantis, quod constituat posse ad actum.

Nec contra hoc vrget vlla ex adductis probationibus. Non prima: nam vera intelligentia D. August. in verbis obiectis constat ex proximè dictis, nempe quod gratia efficax vires adequatas supponit, & eas suppositas efficacissimas reddit, quatenus ex se indifferentes applicat, & determinat ad actum. Quare non rectè deducitur ex Div. August. nostram qualitatem applicantem efficaciter voluntatem instructam

actus sine prædeterminatione, in quantum ly sine prædeterminatione in prima se tenet ex parte subiecti; & in secunda ex parte prædicati: ideoque iudicant cum D. Thom. primam absolute falsam, & secundam positive veram. Et sicut præscientia non constituit potestatem, est non possit esse res facta sine præscientia; ita prædeterminatione non constituit potestatem ad actum, tametsi non possit esse actus sine illa.

Ad vrgentiam respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Nam ex eo, quod actus non possit esse sine prædeterminatione, tantum sequitur, quod nullum sit verum posse ad ponendum actum sine prædeterminatione, quia esset posse ad chimæram; sed nullatenus sequitur, quod sine prædeterminatione nullum sit verum posse ad ponendum actum cum prædeterminatione. Quod instari potest exemplo proximè adducto omnipotentis, & præscientis. Cui potest addi aliud desumptum ex motu, & cursu: nam ex eo, quod non detur potestas ad hoc, vt existat cursus sine motu, & quia est chimæra; minimè sequitur, quod sine motu non detur verum posse ad hoc, vt existat cursus ex motu. Ratio vero, cur sine prædeterminatione detur verum posse ad actum, licet actus non possit esse sine prædeterminatione, est, quia talis actus non dependet præcisè à nostra voluntate, sed etiam dependet essentialiter à Deo tanquam à prima causa, & propter necessesse est, quod Deus posse voluntatis reducat ad actum qualitate prædeterminatione.

92 Nec quarta: Nam, vt notavimus tract. 9. disp. 2. num. 1. illa definitio causæ liberæ non petit, quod quolibet extremum libertatis componibile sit cum omnibus prærequisitis ad agendum, sed quod liberum arbitrium simul habeat potentiam agendi, & non agendi, & quod componat potestatem non agendi cum potestate, & omnibus prærequisitis ad agendum. Nam quando prærequisitum ad agendum est essentialiter, & non constituit potestatem ad agendum, nec tollit potestatem ad non agendum, sed tantum est mera applicatio efficax potentie agendi, oportet, quod tunc tale prærequisitum ad agendum componatur cum vera potestate ad non agendum, & quod non esse actus non sit componibile cum illo prærequisito vniç ad agendum. Sicut in sententia plurium adversariorum prædeterminatio intentiva efficax independens à scientia media in sui existentia est prærequisitum essentialiter ad existentiam actus; sed quia non constituit potestatem ad agendum propterea absolute fœderantur cum ea potentia agendi, & non agendi, & manet indennis illa definitio libertatis. Sic ergo discurremus de qualitate nostra prædeterminante.

In forma ergo potest responderi distinguendo maiorem: *Potentia libera est illa, quæ*

positis omnibus requisitis, potest operari, & non operari, in sensu diviso, concedo maiorem in sensu composito, nego maiorem. Vel aliter: positis omnibus requisitis constitutibus potestatem, seu se tenentibus ex parte actus primi, concedo maiorem absque vlla distinctione; non constitutibus potestatem subdistinguo: in sensu composito, nego maiorem; in sensu diviso, concedo maiorem. Sed qualitas prædeterminans est vnum prærequisitum constituens potestatem, nego maiorem; non constituens potestatem, sed mere illam applicans, concedo maiorem. Et neganda est consequentia.

Nec quinta, propter proximè dicta. Nam, deficiente qualitate prædeterminante, non deficit potestas expedita ad operandum, cum non sit prærequisitum se tenens ex parte actus primi & dans posse, quamvis sit prærequisitum essentialiter ad actum per modum mere applicationis advertentis potentiam expeditam.

Nec sexta: nun ad eam sufficienter constat ex dictis tract. 9. disp. 1. num. 56. Ex quibus breviter respondetur. Prænotando, duo requiri ad omissionem peccaminosam: aliud ex parte actus primi, videlicet potestas expedita ad actum, & carentiam illius: alterum ex parte actus secundi, hoc est, quod sit egressus illius ex propria determinatione voluntatis, ita ut, quolibet ex istis deficiente, omisio non sit imputabilis, sicut nec voluntaria. In eo ergo casu, quo negaretur Deus miraculoso modo omnem prædeterminationem, existeret ad peccatum, qui non eliceret actum præceptum: non quia non posset illum elicere, sed quia ex propria determinatione non omitteret; cum præter eius naturalem inclinationem voluntas miraculose maneret ab extrinseco suspensa ab omni exercitio libero.

Nec septima, propter dicta supra in hac dispensatione. Falsum quippe omnino est, solum illud auxilium dici sufficiens, quod non eget alio auxilio: & consequenter falsum est, auxilium non esse absolute sufficiens, quod eget alio auxilio. Alias frustra distingueret D. August. adiutorium quo res fit, ab adiutorio sine quo res non fit: frustra que dixisset, Adamum habuisse gratiam sufficientem ad perseverandum, sive adiutorium, sine quo res non fit; cum careret gratia efficaci, seu adiutorio quo.

93 Nec octava. Ad illam enim respondetur negando maiorem. Ad cuius probationem dicimus, verum esse, quod prius est voluntatem prædeterminari qualitate physica ad consentium, quam consentire: sicut prius est obiectum illuminari, quam videre; cognoscere obiectum, quam illud amare; cogitare, quam credere; & ignem applicari ad passum, quam calefacere. Est tamen discrimen valde notandum inter prædeterminationem, & prædicta exempla; & alia plurima quæ moleste insistent

adver-

Aliud argumentum à ratione.

94

Arguitur octavo cum Palanco tract. de Provid. quest. 15. circa idem assumptum argumenti præcedentis, videlicet qualitatem physicè prædeterminantem tollere libertatem. Quod sic probat: nam id, quod absolute tollit dominium voluntatis supra suos actus, & liberam electionem illorum, tollit eius libertatem; sed qualitas physicè prædeterminans tollit dominium voluntatis, & liberam electionem illorum: ergo tollit libertatem. Minor probatur: nam id, quod pro priori ad actum voluntatis constituit voluntatem physicè determinatam ad vnum extremum libertatis, tollit dominium, & electionem illius; sed qualitas physicè prædeterminans constituit voluntatem physicè determinatam ad vnum extremum libertatis, tollit dominium, & electionem illius; ergo tollit dominium voluntatis supra suos actus, & liberam electionem illorum. Maior probatur primo à Palanco ex D. Thom. 1. Contra gent. quest. 88. vbi ait: *Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in sua potestate est velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum, & violentiam cause exterioris agentis: non tamen excludit influentiam superioris cause, à qua est ei esse, & operari. Et sic remanet causalitas in causa prima, quæ est Deus, respectu motuum voluntatis, vt sic Deus, seipsum cognoscendo, huiusmodi cognoscere possit.* Paria leguntur alijs in locis. In quibus verbis duo notari debent. Primum est: quod dominium voluntatis excludit determinationem ad vnum: ergo e converso determinatio virtutis ad vnum excludit dominium voluntatis; sed qualitas prædeterminans est determinatio virtutis voluntatis ad vnum: ergo tollit dominium, & electionem voluntatis. Secundum: quod D. Thomas taliter excludit determinationem virtutis ad vnum, vt in causa proxima non possit certo cognosci actus voluntatis, & sic pro illius certa cognitione recurrat ad causalitatem ipsius Dei, signum quo est, quod non concedit qualitatem prædeterminantem, quia in ea Deus cognosceret certo actus liberos voluntatis creatæ.

Probatur secundo ratione à Palanco tract. de Provid. quest. 15. num. 6. Nam dum voluntas non potest se determinare, non habet dominium, & electionem suorum actuum; sed si voluntas pro priori ad suum actum est physicè determinata ad vnum libertatis extremum, non potest physicè se determinare: ergo id, quod pro priori ad actum constituit voluntatem determinatam ad vnum, tollit dominium,

&c

adversarij: Siquidem ea exempla non se habent per modum mere applicationis, nec præcisè requiruntur ad actum, sed etiam ad posse. Qualitas vero nostra prædeterminans se habet per modum mere applicationis: quia, vt docet August. non est adiutorium sine quo, sed præcisè, quo fit actus; seu non est adiutorium præstans posse, quod volumus; sed præstans velle, quod possumus.

Sed dicent adversarij: Unde probatis, quod prædicta exempla requiruntur ad posse, & non se habent per modum mere applicationis; & e converso qualitas prædeterminans, seu adiutorium quo Augustinianum se habet per modum mere applicationis? Respondetur ex eo constare, quia id, quod se habet per modum mere applicationis, est tale, vt eo stante, nec per divinam potentiam fiet non esse actionis, & hoc modo se habet nostra qualitas prædeterminans. Ceterum id, quo stante, potest saltem per divinam potentiam stare non esse actionis, non se habet per modum mere applicationis, sed est prærequisitum ex parte actus primi: & hoc pacto se habent omnia exempla, quæ contra nos congerunt adversarij.

Ad additamentum respondetur, quod in exemplis non est querenda omnimoda similitudo. Maximè quando ex ea sequitur aliquod magnum inconveniens, vt in presenti contingeret, si prædeterminatio omnimodo se haberet, sicut lumen ad visum: sequeretur namque auferri liberum arbitrium, si voluntas sine prædeterminatione non haberet potentiam expeditam ad rectè operandum, sicut visus sine lumine non habet potentiam expeditam ad videndum. Hincque sequeretur, Magnum Augustinum, dum comparat gratiam efficacem cum lumine, si servanda esset omnimoda similitudo, negare liberum arbitrium, quod absque ingenti temeritate non potest dici de præcipuo defensore gratiæ, liberi arbitrij. Si vero, stante omnimoda similitudine, non leditur liberum arbitrium, quid prodest hoc exemplum adversarijs ad impugnantiam qualitatem prædeterminantem?

Similitudo ergo intenta ab Augustino solum stat in eo, quod sicut visus indiget lumine ad videndum, ita voluntas indiget gratia efficaci ad rectè videndum: quod apud omnes verissimum est. Vel sicut in visu sine luce est virtus ad videndum, non sine luce tamen, ita lux non sit exacta ad hoc, vt visus sit virtus visiva, sed ad hoc vt sit visio: Ita voluntas sine prædeterminatione est potens ad consentiendum, non tamen sine prædeterminatione, sed cum illa modo explicato num. 91. Et hæc sufficiunt, vt Magnus August. vretur exemplo lucis ad suadendam gratiam efficacem, quin deducatur esse iuxta eius mentem prærequisitum constituens posse, sicut lumen est prærequisitum ad potentiam visivam expeditam.

& electionem illius. Minor probatur; nam implicat, voluntatem esse intrinsecè, & physicè determinatam ad vnum, & in signo posteriori iterum determinari ad idem: nam solum est capax determinari indifferens vt *indifferens*: ergo si voluntas est intrinsecè, & physicè determinata ad vnum pro priori ad actum, non potest physicè, & intrinsecè iterum se determinare.

Urgetur hoc, præcludendo tacitam solutionem. Nam quando voluntas in actu primo est necessariò determinata ad amorem, vt per visionem beatam, illa determinatio tollit omnem determinationem propriam voluntatis, eiusque dominium & electionem, quamvis in illo signo voluntas sit adhuc in potentia formali ad amorem; non alia ratione, nisi quia voluntas supponitur pro priori ad illum determinata, et si determinatione illativa amoris: ergo id, quod pro priori ad actum constituit voluntatem intrinsecè, & physicè determinatam ad vnum, tollit dominium, electionem, & vltiorem determinationem.

Urgetur ampliùs. Nam per determinationem amoris aliqua indifferentia formalis, & immediata determinatur: ergo si pro priori ad amorem principium illius non supponitur cum aliqua indifferentia immediata, & formali, non potest formaliter determinari.

Urgetur tertio. Nam per amorem vel determinatur immediatè indifferentia actus primi, vel indifferentia actus secundi; neutrum dici potest: non primum, quia nostra qualitas prædeterminans determinat illam: nec secundum, quia ipse actus secundus ex se est vltimata determinatio: ergo nulla indifferentia est determinabilis post determinationem prædictæ qualitatis, proindeque per illam tollitur dominium, & electio voluntatis.

Urgetur quarto: Si voluntas post determinationem qualitatis determinaret suam actionem, etiam determinaret actionem qualitatis, cum sit eadem actio; sed hoc repugnat, aliàs esset causa, & effectus in eodem genere causæ determinantis: ergo idem quod prius.

95 Ad hoc argument. (quod à Patribus Societatis impugnantibus omnem prædeterminationem, siue extrinsecam, siue intrinsecam desumpsit Palanco) Respondetur concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem distinguitur maior: quod constituit voluntatem physicè determinatam ad vnum per modum virtutis & naturæ, concedo maiorem; per modum meræ applicationis, nego maiorem. Et distinguitur minor: constituit voluntatem physicè determinatam ad vnum per modum virtutis seu naturæ, nego minorem; per modum meræ applicationis, concedo minorem. Et negatur consequentia.

Et ad primam probationem maioris ex D.

Thom. de promptam dicendum est, S. Doct. in illo testimonio aperte loqui de determinatione virtutis, quæ sit ex se determinatio ad vnum, vt constat ex suis verbis, nempe *excludit determinationem virtutis ad vnum*; quo pacto virtus nutritiua est determinatio ad vnum, quam excludit dominium voluntatis supra suos actus. Et quod non loquatur de determinatione diuina per modum meræ applicationis, non minus constat ex verbis, quæ immediatè subdit, *non tamen excludit influentiam causæ superioris*, seu causalitatem Dei: à qua tanquam à prima causa, & primo determinante necesse est defendere quandam vim applicantem, & determinantem causam liberam creatam. Ex quo patet ad primam reflexionem, necnon ad secundam; quia D. Thom. tantum intendit, quod in sola virtute voluntatis Deus nequit cognoscere motus liberos voluntatis, sed eos cognoscit in sua causalitate: cum qua non ponit in numero qualitas prævia, vt potè destinata ad applicandam voluntatem ad determinatam actionem prædictam finitam.

Ad secundam respondetur concedendo maiorem; & negando minorem. Cuius probatio non urget: nam dupliciter voluntas potest determinari: vel formaliter per exercitium formale sui ipsius: vel initiatiuè, & applicatiuè, quatenus voluntas applicatur à Deo, vt se exerceat per suam operationem. Dicimus ergo, quod licet repugnat voluntatem determinatam priori modo iterum determinari; non tamen repugnat voluntatem, determinatam applicatiuè, in posteriori signo iterum determinari formaliter, & in actu secundo completo. Immo hoc est necessarium: tum quia munus determinationis primæ, seu applicatiuæ, est facere formaliter, vt voluntas se determinet per hunc actum secundum præ alio, & tollere initiatiuè indifferentiam suspensivam voluntatis: quæ quidem indifferentia tam longe abest ab hoc, quod sit necessaria ad libertatem, vt potius petat auferri per prædictam applicationem, & quemlibet actum liberum: & tam longe abest prædictæ determinationi initiatiuæ, & applicatiuæ ab eo, quod libertatem, dominium & electionem suffocet, vt potius faciat, foveat, & causet. Tum etiam: quia voluntas creata in omni sua operatione libera dependet à Deo, & illi subordinatur tanquam primæ causæ, & determinanti; & hoc saluari nequit, quin, priusquam agat cum sit indifferentia passiva ad hoc, vt determinetur à Deo, & applicetur ad agendum. Unde id, quod in hac probatione includitur, nempe quod solum est capax determinari indifferens vt *indifferens*, verisimile est; sed in signo applicationis, & determinationis diuinæ per qualitatem prædeterminantem datur indifferentia formalis, quæ tollitur per amorem.

96 Ad primam vrgentiam respondetur ex dictis

si sibi correspondet: quia proprium est voluntatis solum determinare seipsum, & habitus in ea existentes, quibus vitur pro libito suo; sed vt applicationem convenientem à causa superiori, scilicet Deo, nec actionem prout tali applicationi correspondet.

§. XVIII.

Aliud argumentum ab Illustrissimo Palanco.

97 **A**rguitur nonò. Nam qualitas physice prædeterminans constituit actum primum proximum voluntatis, essentialiterque connectitur cum actu, ad quem determinat: ergo tollit libertatem. Consequentia non eget probatione; quidquid dicant aliqui Thomistæ. Antecedens quoad secundam partem apud nos est indubitabile. Quoad primam verò suadet: Nam actus voluntatis præcedens immediate actum secundum illius comparatur tanquam actus primus proximus ad actum secundum; sed qualitas nostra prædeterminans est huiusmodi: ergo constituit actum primum proximum voluntatis. Urgetur: Nam prædicta qualitas est actus prior, quam actus secundus voluntatis: ergo constituit voluntatem in actu immediatè priori, quam sit actus secundus voluntatis; sed ex terminis actus immediatus præcedens actum secundum est actus primus, cum actum secundum non præcedat immediatè nisi actus primus: ergo est actus primus; sed de ratione actus primi est constituere potentiam, in qua est, in actu primo, seu constituere actum potentia proximum: ergo.

Urgetur secundò. Nam illa qualitas formaliter, & perse actuat voluntatem pro priori ad actum secundum: ergo est actus primus. Urgetur tertio: Quia prædicta qualitas ita applicat voluntatem actui secundo, vt inter illa mediet ipsa qualitas, quæ actuat voluntatem: ergo dum applicat illam actui secundo, non applicat actum proximum, & immediatum actui secundo, sed solum actum remotum & mediatum; aliàs esset proximus, vt supponitur; & non esset proximus, quia mediat actus applicans: ergo ipsa qualitas est actus primus proximus respectu actus secundi: ideoque constituit actum proximum voluntatis.

Urgetur quarto. Nam vel voluntas coniungitur, & vitur actui secundo immediatè, & non per qualitatem mediam, vel mediatè, idest media qualitate actuante formaliter voluntatem, si dicatur primum: ergo non datur talis qualitas. Si dicatur secundum: ergo voluntas non est actus primus immediatus actui secundo, sed prædicta qualitas: ergo constituit actum primum proximum voluntatis.

Confirmatur primò. Quod influat per modum

dicis nonn. 93. esse totam disparitatem inter visionem beatam respectu ad amorem, & inter qualitatem physicè prædeterminantem ad amorem: nam visio beata est prærequisita per modum actus primi ad amorem, & non se habet per modum meræ applicationis: quare determinatio facta per eam tollit dominium, & electionem amoris, eaque supposita voluntas nullam habet indifferentiam ad amorem, & carentiam illius, sed tantum pro eius signo est in potenti a actiua, & passiva respectu amoris, cum determinatione tamen per modum virtutis ad illum. Ratio huius est: quia voluntas est potentia caeca indigenis propositione intellectus tam speculatiua, quam practica, itaut prima sit de ratione actus primi, & secunda habeat rationem meræ applicationis. Sed vt prima propositio relinquat voluntatem cum dominio eligendi, necesse est, quod obiectum proponat cum indifferentia obiectiua: & hoc modo visio beata non proponit suum obiectum primarium, nempe Deum. At qualitas prædeterminans se habet præcisè per modum applicationis: quia in omni sententia supponit voluntatem tam ex parte sui, quam ex parte intellectus proponentis cum sufficiente virtute ad amorem, & carentiam; aliàs Deus non posset per illam applicare voluntatem ad actum. Unde est pro priori ad actum constituit voluntatem determinatam, non propterea tollit dominium formale illius. Sicut nec iudicium practicum determinatum intellectus post iudicium indifferens, propter eandem rationem tollit dominium formale voluntatis super suum actum: est enim mera applicatio voluntatis relinquens eam cum dominio, & electione sui actus, & consequenter cum libertate.

Ad secundam vrgentiam respondetur, concedendo antecedens; & negando suppositum consequentis: in quo videtur supponi, voluntatem in signo qualitatis prædeterminantis, & pro priori ad amorem non potiri indifferentia formali ad illum: quod est falsum, vt constat ex supra dictis.

Ad tertiam respondetur eligendo primam partem dilemmatis. Contra quam non urget probatio ibi adducta: Nam per qualitatem solum determinatur voluntas formaliter applicatiuè, postquam determinationem adhuc restat determinatio formalis vltimata & perfecta per amorem: & per hanc determinatur indifferentia formalis actus primi existens in signo qualitatis prædeterminantis.

Ad quartam respondetur negando sequentiam maioris. Quia ad voluntatem solum attinet determinare suam actionem cum subordinatione ad Deum, secus verò cum subordinatione Dei ad seipsum. Unde quamvis eadem sit actio voluntatis, & qualitatis prædeterminantis, voluntas verò solum determinat prædictam actionem, prout lo-

ad actum primi in actum secundum, constituit actum primum, ut ex se liquet; sed nostra qualitas inluit in actum secundum per modum actus primi: ergo constituit actum primum. Minor probatur: nam quod inluit in actum secundum per modum principij, inluit per modum actus primi, quia actus secundus non inluit in seipsum; sed qualitas illa inluit in actum secundum per modum principij: ergo inluit per modum actus primi.

Confirmatur secundò. Nam illa qualitas datur, ut voluntas præcontineat vel actualitatem, & existentiam, vel determinatè vnam actionem præ alia; sed quidquid requiritur ad præstandam voluntati præcontinentiam actus secundij, siue quoad totum, siue quoad aliquam formalitatem, constituit actum primum, cum det posse ad illum: ergo prædicta qualitas constituit actum primum.

98 Hoc argument. cum suis vrgentijs (quod magna vi præmere propugnatores qualitatè prædeterminatæ aserit Palanco) nihil nos premit. Cuius facilis solutio deducitur ex dictis duobus §§. præcedentibus. Ad argumentum ergo respondetur negando antecedens quoad primam partem. Et ad eius probationem dicimus, id, quod præcedit actum secundum, quadrupliciter posse comparari ad potentiam: vel tanquam dans virtutem potentie, ut habitus persè inlusus; vel tanquam complens virtutem, ut habitus acquisitus, & subsistentia; vel tanquam conditio, ut existentia; vel tanquam mera applicatio potentie præsuppositæ cum omnibus prærequisitis constituentibus virtutem proximam. Quod tribus prioribus modis præcedit actum secundum, comparatur ad illum tanquam rigorosus actus primus constituens actum primum. Sed quod præcedit vltimo modo actum secundum, reductivè & secundum quid potest dici *actus primus*, secus verò simpliciter: quia de eius ratione est, quòd applicet actum primum adæquatum: alias & esset mera applicatio, ut supponitur (quam esse possibilem ab omnibus debet concedi) & non esset, quia daret posse potentie. Qualitas nostra prædeterminans tantum hoc posteriori modo præcedit actum secundum. Quinimò iudicamus impossibile metaphysicè, quòd sub munere puræ applicationis res aliter contingant: quia impossibile est vnam causam mere applicare aliam, quin præsupponat in causa applicata posse simpliciter adæquatum. Diximus sub munere puræ applicationis: ut præcandamus ab ea questione, an in eadem indivisibili entitate possint inveniri munera auxilij sufficientis, & efficacis? Unde quamvis nostra qualitas prædeterminans præcedat actum secundum quodammodo per modum actus primi, non debet absolute constitucere actum primum, nec tollit libertatem.

Ex his facile constat ad omnes vrgentias

argumenti. Ad primam enim respondetur distinguendo antecedens: est *actus prior* per modum applicationis puræ, concedo antecedens; aliter, nego antecedens. Et distinguitur consequens: ergo constituit voluntatem in actu priori per modum puræ applicationis, concedo consequentiam; aliter, nego consequentiam. Unde ex toto illius ratiocinio tantum potest deduci, quòd qualitas prædeterminans constituit potentiam præcisè applicatam, secus verò actum primum potentie. ¶ Ad secundam respondetur, concedendo quòd prædicta qualitas actuat formaliter voluntatem pro priori ad actum secundum. Sed hinc inepte deducitur, quòd proprie & rigorosè in sensu arguentis sit actus primus: quia potest actuare per modum puræ applicationis, de cuius ratione est supponere actum primum rigorosum. Unde ad summum potest dici *actus primus secundum quid* & reductivè, quatenus applicat actum primum simpliciter.

Ad tertiam respondetur, verum esse, quòd qualitas illa mediat inter voluntatem, & actum secundum. Sed non propterea applicans voluntatem actui secundo applicat illi actum remotum: quia sicut potentia cum habitu per modum potentie applicatur immediatè actui secundo, licet inter potentiam, & actum mediet habitus; ita voluntas per modum potentie, & per modum virtutis sufficientis adæquate applicatur immediatè actui secundo, estò mediet qualitas illa, & hæc applicatur immediatè actui secundo: quia hæc non applicatur illi per modum potentie, seu virtutis, sed per modum puræ applicationis: ex qua, & potentia resultat vnicum principium immediatum adæquam actuale.

Ad quartam respondetur, dupliciter posse intelligi, quòd voluntas coniungatur actui secundo, vel dimanativè, vel inhærive: & vtroque modo coniungitur immediatè actui secundo. Coniungitur imprimis inhærive: quia actus secundus non inhaeret absolute qualitati prædeterminanti, propter dicta num. 68. Etiam coniungitur immediatè dimanativè: quia actus secundus immediatè procedit ab ea per modum virtutis, & potentie. Quin obstat, quòd mediet qualitas: quia ab hac non procedit absolute per modum virtutis, sed præcisè per modum applicationis.

99 Ad primam confirmationem respondetur, quòd qualitas nostra prædeterminans, proprie loquendo, non inluit per modum actus primi in actum secundum, sed præcisè per modum applicationis puræ, & per modum principij applicantis actum primum, & principium per modum potentie, & virtutis: & propterea non constituit absolute actum primum, & principium actus secundi, sed cum addito diminutive, videlicet actum primum, & principium ut

appli-

Dub. II. An quo consistat auxilium, seu gratia efficax?

applicatum, seu in ratione principij actualis, quòd est idem, ac esse actum primum reductivè & secundum quid.

Ad secundam respondetur ex dictis num. 90. negando maiorem absolute prolatam. Quia nostra qualitas prædeterminans, & per modum puræ applicationis, cum supponat virtutem sufficientem adæquatam, supponit omnem absolutam præcontinentiam actus secundi, modo ibi explicato, tantum datur ad tollendam indifferentiam suspensivam virtutis proximæ. Ex quo ad summum potest deduci, quòd constituat actum primum in ratione principij actualis, quia facit, quòd principium sufficiens adæquatum actu coniugatur cum actu secundo.

§. XIX.

Aliud argumentum Adversariorum.

100 **A**rguitur decimò: Nam, stante indifferentia iudicij, potest voluntas à Deo necessitari ad actum; sed nihil aptius potest ad hoc excogitari, quam realitas nostra prædeterminans: ergo qualitas nostra prædeterminans tollit libertatem. Consequentia est legitima. Et minor videtur certa: nam si voluntas, supposito iudicio indifferenti, potest absolute necessitari ad actum, hoc debet fieri quia Deus posset saltem miraculose voluntati imprimere inclinationem ita vehementem, ut ei voluntas resistere non possit, nec possit se cohibere ab actu; hæc autem inclinatio vehementissima in nullo alio potest aptius inveniri, quam in nostra qualitate prædeterminante, cui voluntas non potest resistere, siue in sensu composito, siue in sensu diviso, ut diximus §. 14. per totum.

Maior verò probatur: Nam cum iudicio indifferenti fiat determinatio virtutis ad vnum: ergo, stante indifferentia iudicij, voluntas potest à Deo necessitari. Probatur consequentia: nam ad libertatem ita requiritur iudicium indifferens, ut Concilia, & Patres, & præcipue D. Thom. excludant determinationem virtutis ad vnum, & sub quacunque motione, siue quocunque auxilio gratia possit resistere, & dissentire: ergo si, stante iudicio indifferenti, stare potest determinatio virtutis ad vnum, sequitur, quòd voluntas, sub indifferentia iudicij constituta, possit à Deo necessitari. *Adde*: Nam ad libertatem duo requiruntur, nempe indifferentia obiectiva seu iudicij, quæ se tenet ex parte intellectus: & indifferentia subiectiva voluntatis, & eius virtutis, itaut non minus requiratur ad illam secunda, quam prima; sed, stante indifferentia obiectiva seu iudicij, potest Deus auferre indifferentiam subiectivam voluntatis, seu virtutis, & conferre ex vi huius de-

Tom. III. Paul. Thesol. Salm.

terminationem ad vnum, sicut stante indifferentia subiectiva virtutis potest stare determinatio obiectiva seu iudicij ad vnum, ut contingit in motibus primò primis: ergo, stante indifferentia iudicij, potest Deus determinare voluntatem ad vnum, illamque absolute necessitare.

Confirmatur primò. Nam potest contingere, quòd quis habeat visionem ostendentem illi viam ad certum locum, & simul ligetur vinculis ab alio, quæ ipse solvere nequit, qui quidem non posset proximè se conferre in talem locum, & esset absolute necessitatus ad carentiam motus ad talem locum: ergo pariter, stante indifferentia ad amorem, potest Deus absolute necessitare voluntatem ad illum. Patet consequentia: tum quia iudicium indifferens se habet sicut prædicta visio ostendens viam. Tum quia non est, cur Deus simili modo non possit ligare voluntatem ad vnum.

Confirmatur secundò. Cum iudicio indifferenti ex se ad extrema contrarietatis, v. g. ad Deum amandum, & odio habendum, potest Deus necessitare voluntatem, itaut pereat libertas ad vnum extremum talis libertatis: ergo etiam cum iudicio indifferente ex se sufficiente ad libertatem contradictionis, potest idem contingere. Antecedens probatur: quia stante illo iudicio indifferente per fidem ad Deum amandum, & odio habendum potest Deus deicere habitum charitatis, aliudque auxilium necessarium ad actum charitatis, in quo casu periret libertas ad illum: insuper Christus noverat, intemperantiam esse turpem, & contraformem appetitui, & tamen non erat liber ad eam amandam: tandem in beatis est cognitio, qua cognoscunt rationes allicientis ad peccatum, & retrahentes ab illo, quin sit liberi ad illud committendum: ergo cum indifferentia iudicij sufficiente ex se ad libertatem contrarietatis potest non stare libertas ad aliquod extremum talis libertatis.

101 Pro solutione huius argumenti, & confirmationem (quæ nobis obijciunt Patres Societatis, & Palanco.) Nota, ad libertatem duo requiri ex parte intellectus, & alia duo ex parte voluntatis. Nam imprimis ex parte intellectus requiritur iudicium indifferens non solum cognoscens speculativè rationes attractentes, & retrahentes à peccato, vel ab exercitio actus; sed etiam practicè proponens eas ut hic, & nunc amabiles à voluntate. Et hoc iudicium constituit actum primum radicalem libertatis, ut docet D. Thom. 1. 2. quest. 17. art. 1. ad 2. ubi ait: *Radix libertatis est voluntas, sicut subiectum, sed sicut causa est ratio. Ex hoc enim voluntas potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni.* In hoc omnes conveniunt. Deinde requiritur aliud iudicium practicum, quo intellectus proponit

Xx

veq